

frater alter Chirurgus Regis ordinarius. Hæc incipit laborare dolore quodam, primùm punctorio, mox pressorio in uno digito manûs. Dolor recur-rebat per paroxysmos decies, imò sæpè vigesies quotidie; paroxysmus durabat per 1, 2, s. 3 minutas, cum dolore intensissimo et anxietate summâ. Post annum unum alterumve doloribus attenuabatur ultimus articulus digiti (in quo dolor residebat), et cutis stricta observabatur, absquè rube-dine aut ulcere; post aliquot annos eodem morbo simul afficiebatur proximi digiti articulus ultimus, ut præ dolore, quo se verteret nesciret. Maritus corripitur phthisi et perit; illa, contagio phthisico à marito infecta, etiam periit.

Ærarius Fahlunensis etiamnum vivus, D. Gahn, simili omninò morbo corripitur in ultimo digito; frustrà auxilia chirurgorumque et medicorum efflagitat; nullus potuit lenire paroxysmos; digiti articulus exactè eodem modo attenuatur, et dolores uti prioris recurrunt sæpius. Doloribus pertæsus, porrigit digitum chirurgo truncandum: qui consolidatur, et jam à multis annis omninò sanus vixit. Truncatus digitus aperitur à chirurgo, et observatur nil nisi quòd os erat maximè friabile, quasi ex farinâ coagulâtâ confectum, absque ero-sione et cariei signo. *Paronychia* longè aliter se habet; in câ caries, inflammatio, erosio, exulce-